



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Modus, statusq[ue] strenuè Deo seruiendi vt sit necessariò cuiq[ue]  
deligendus. Cap. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

## CAPVT III.

**N**on vnus est opus diei vitam mutare, idēd primum satis expēde quid tibi conueniat, quid præpediat, vt trutinatis omnibus ( hoc est, complexione, ætate, natura, statuq; ) assumas pro veteris hominis mortificatione, seu vt Christus loquitur, pro tui abnegatione, viuendi genus, quo viuere & perseverare possis. Non omnibus datum est adire Corinthum, nec omnia possimus omnes, sed iuxta virium tuarum mensuram, iuxta vocationem tuam, iuxta denique ætatem, aliaq; conditiones, quæ necessarid respiciendæ sunt, eligendus tibi est locus, præfigendusq; viuendi canon, quo & ijs quæ iam non oportet negligi, nihil subtrahas. & ea quæ superaddi necesse est, obseruare salubriter valeas, neminiq; onerosus aut scandalo fias. Eam ob rem non vnus nec vniformis est Deo seruientium status, quamuis ad eundē scopum finemq; tendant omnes. Quod enim vni est occasio profectus, alteri foret destructionis causa. Omnes tamen te benedictæ Iesu quærun, omnes te diligunt, omnes te imitari gestiunt, vnusquisque iuxta suæ vocationis genus, iuxta virium & ætatis mensuram, & iuxta naturalis complexionis congruentiam. Hoc igitur omnibus vt conuenientissimum, vt quæ necessarium persuasum sit, eligere statum modumq; viuendi, quo à delinquentium societate, à delictorumq; occasionibus sequestratus maneat. At quis is potissimus sit ( si quæris ) qui & illi, & illi congruat, non nostræ est facultatis exponere ( cum varia sint atque permulta, quæ his quidem noceant, alijs verò profint: sunt etiam hominum studia, complexionēs, donaq; multiplicia & Inæqualia ) sed spiritum vnusquisque inuocet sanctum, quo doctore correctiorem instituat vitam: oratq; Deum, vt, quo incontaminatus ab hoc seculo viuere possit, & scientiam sibi infundat, & vires tribuat cum perfecta voluntate.

Statu fam-  
ctē viuendi  
cuiusmodi  
eligendus sit

Seruientium  
Deo status  
cur sit diuer-  
sus.

*De constanti firmoq; proposito vitæ melioris tenendo.*

## CAPVT IIIII.

**Q**ui maria nauigare instituunt, qui militiam sequuntur & castra, qui venique quamuis artem discere exercereue percipiunt, labores, molestias, grauitates & pericula quæ sint suscepturi, præmeditentur necessesse est, atque ad eadem ferenda ( licet adhuc futura ) iam se offerant, iam sese accingant, animum firment, statuantq; propter quauis incommoda nolle à ceptis resilire. Hoc modo tu qui veterem hominem exuere, nouum cupis induere, quiq; mortificata carne, spiritu viuere desideras, scito labores, molestias, incommodaq; tibi euentura. Conflictus namque & prælia tibi occurrēt, & quod grauidis periculosiusq; est, non aduersus hostes tantum, sed contra te ipsum quoque pugnabis. Hostes quidem, carnem atque diabolum, habes persequi: verum cum tu eisdem sis familiaris amicus, tibi verò ipsi hostis, vt temetipsum quoq; propterea persequaris, hoc est, vt tua tibi desideria interdicas, neges, subtrahas atque mortifices, oportet. Modo igitur, quot in hac pugna tibi euentura sunt incommoda, quot molestiæ, quot curæ ac labores, quot denique & angustia & sudores præmeditare & expende. Difficilis sane est pugna, certamenq; periculis plenum, licet speciosissima ( si fideliter pugnaueris ) nec minus gloriosa sit victoria. Hæc tamen ( vt dixi ) præmeditare, ne

M m

cum